


P V I S

1 6 1 8

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

EF 14



Faint, illegible handwritten text or markings on the page.



66 2673

4

Serpens æneus

ISRAËLITIS

IN SALVTEM MAN-
DATO JEHOVÆ PER
Mosen erectus.

Carmine Heroico
donatus,


Et olim die αὐτῶσεως Lipsiæ in tem-
plo Paulino Reuerendi ibidem Collegij
Theologici permissu productus.

à

M. HENRICO IVNIO SVLA-
NO, Iuris & æqui Studioso.

Melanchthon.

*Poëtica est flos, & thesaurus eruditionis;
magistra vita, & formatrix lingua.*



LIPSIÆ, curante Iacobo Apelio, bibl.

Anno

C V M DEO.



HEXASTICHON

In

Effigiem ænei serpentis &
crucem IESV CHRISTI

μεσίτῃ Ἐ λαοσός ἀεί πολυ-
πλάγχυσ,



ÆNeus vt Serpens medicatur ab aspide morso,
Morsus ad hunc simul ac lumina mœsta
regit: (sanat;

Sic quoq; suspensus **CHRISTVS** tua Vulnera
Sis modò ei intentus lumine, mēte, fide. (**STVS**:

Aeneus in ligno serpens micat: in cruce **CHR**. I.
Ille caret stimulo, sed vacat hicce dolo.

M. H. I. S.

AMPLISSIMIS, VIR-
TVTE EXCELLENTI, PRV-
DENTIA TVM LITERATA
tum senili ac graui, autoritate
eximiâ, nec non diuturno, veroq; re-
rum vsu præstantissimis ac poli-
tissimis Viris :

Dn. BARTHOLOMAEO VIATIS
seniori, Ciui ac Mercatori Nori-
bergenfi primario :

Dn. CASPARI ANCKEL-
MANN O seniori, Mercatori, Ciui
& Senatori inclytæ Hamburgensis Rei-
publicæ spectabili :

Nec non

Dn. CASPARI VVERNERO,
Et

Dn. IOHANNI ROITHAVPTIO:
Mercatoribus, Ciuibus & Senatori-
bus celeberrimæ Lipsensium Reipu-
blicæ dignissimis :

Dominis, Fautoribus, Mæcenatibus ac pro-
motoribus meis, vt beneuolentissimis ita
munificentissimis.

IVNIVS, antiquâ clari virtute Patroni,
Multâ vos Vatum more salute beat.
Hocq; offert (melius deinceps offerre paratus)
Compositum Aonio pectine vile melos.
Nec tamen hæc propter quod vestra sit indiga
Alterius laudum, nec micet ipsa satis: (virtus
Sed memori memorem quò se indicet indice ve-
Carmine iam vili vilia dona parat. (stri:
Atq; utinam sint grata velut de pectore grato
Dimanant: post hæc splendidiora daret.
Sed, nî fallor, erunt. etenim hæc medicamina
Quî caueat virus quilibet, atq; necê. (mõstrât,
Multa quidem Medici tradunt hoc tempore, vis
Latè grassantem, quâ ratione luem: (tes
Fonte sed haud viso, morbi genus vnde scaturit,
Quæ releuent agros, pharmaca nulla dabunt,
Ergò prius labis primævæ vulnera noscas,
Et culpâ nævos quos trahis ipse tuâ.
Nec noscas modò, at agnoscas, doleasq; necesse
Et Numen veniam supplice voce roges, (est,
Suspendum torquens ad Regem lumina Christû,
Inde ratam quovis tempore habebis opem:
Thariadæ haud secus ac morfi serpentibus: an
Intuiti erectum, salvi abiére statim. (guem
Huc igitur constante fide conuertite mentes:
Sic oberit vobis nulla inimica lues.
Fallor? an iccirco studiosâ mente legetis,
Sint licet exili carmina pacta stylo?

*Ampliss. & excellentiss. P P. VV.
addictiss.*

M. Henricus Iunius, Sulanus.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ
ΠΑΘΗΤΙΚΟΝ,

Tempori, quo hoc decan-
tatum est carmen, accom-
modatum.

Rotinus optarem salso stillaret vtrumq;
Rore mihi lumen, lacrumarum flumine
vasto,

Fœdarem laberasq; genas, oculosq; fatigarem.

An possem lessis fortè exæquare dolorem,

Hæcce dies quem luctifico mihi suscitât ortu.

Aggemite ô proceres; suspiria suspirate.

Aggemite ô iuuenes; suspiria suspirate.

Hicce dies Ihouam patientem verbera vidit;

Hicce creatorem morientem in stipite vidit,

Hicce ducem vitæ vitam deponere vidit

Sponte lubentemq;. Ah; sit cornea fibra, necesse est,

Sitq; chalybs circum præcordia, duræue cautes,

Cui non permoueant animum fata, horrida fata,

Iusticiæ diæ, nostræ Autorisq; salutis,

A 3

CHRISTI:

Christi: Christi, inquam miser. Hic mihi causa
doloris.

Hunc ego perpetuo. Sed quid suspiria? quid si
Immorerer lacrumis? nihil hinc tibi, Christe, referre
Acceptum, gratumq; & me facerem esse sodalem
Ipse Suitarum, & rase, quod nolo, catenae,
Quae fidei oblita est, & flendo vulnera CHRIST,
Deberi sedes sibi clamat inde beatas.
Verum diuino indultu sententia nostra
Stat menti melior: melior res sustinet agros.
Cum nostram ob noxam & lapsum infelicis Adami
Immiti pendeas traiectus pectora ferro,
Fœdatæq; tuæ palmæ, persusaq; tabo.
Ora: cruentatumq; caput, crinesq; revulsi.
Scilicet hæc propter nos es, nostramq; salutem
Perpeffus, vitam linquens pro fontibus insons.
Tantus amor lapsis hominum succurrere rebus!
Hæc agitare animis fas est, rectumq; piūq;
Fas est his cardo fidei quis vertitur, omnes
Infixos oculos, atq; ora infixa tenentes,
Nocte dieq; Dei meditari corde fauorem.
Ergo licet vastæ epotassum flumina Lethes,
Parsq; soporiferæ Lotus sit maxima adesa;
Attamen offundet Lethe mi obliuia nunquam

Tanti

Tanti operis, Lotos grato nec corde reuellet,
 Ne memorem, sit quanta Dei clementia; quantus
 Ardor, ut humanam restauret morte salutem.
 Commemoro, Sathana rumpantur & ilia sauo.

ἠρότασις.

Sed mens fert primùm secretos ire per hortos
 Mosis, ab hinc pandam tectis oclusa figuris,
 Scilicet ut medio campi suspendit ahenum
 Ingenti è malo colubrum, stratosq; iubebat
 Dirigere huc oculos rectâ, lignumq; tueri
 Amramides; miseris quod erat medicina salutis.
 Nempe Deus signis manifestò ut tradat iisdem,
 Promissum patribus Messiam aliquando futurum,
 Qui trunco arboreo sublatus nostra piaret
 Crimina; nosq; fide verâ saluemur in ipso.

O mihi Dauidicâ sudarent tempora nardo!
 O mea Paulino stillarent pectora mulso!
 Et maior iuuenes inflaret Spiritus artus! (uos!
 Quàm vellem Hexametros animosè intendere ner-
 Et Ihouæ meritumq; sacrasq; retexere laudes!
 Ast etiam infantum non detrectare loquelas
 Ipsa solet Ihouæ clementia non benè comtas.
 Non moror ergo leuè bona dicere tanta cothurno.

Tu sacer antistes, cui tota Academia paret,
 Harbarde, augustisq; Decane amplissime sacris,
 Corneli Beccere, iugis praefecte Sionis :
 Tum reliqui proceres, Philyraei lumina Pindi,
 Et Musis adamat a manus, studiosa inuentus :
 Este, & adeste, boni, linguis animisq; fauentes.
 Non humana canam, placidas exporgite frontes :
 Sacra sacris referam : modo spes addiscite vestras.
 Ardua res praesens : quamuis vox omnis hiulcet.
 Eia animis vigilate bonis : ego verba praiebo.

ΔΙΚΥΗΣΙΣ.

Gens erat Isacio quondam de patre profecta,
 Quam Deus altitonans populis magis omnibus vnā
 Extulit, & magno cumulauit honore beatam,
 Promisitq; illi mansuram in secula prolem,
 Et stabilem regni ventura in tempora sedem :
 Si legum memores, praceptorumq; tenaces,
 Infixos recto nunquam de tramite gressus
 Vertant, atq; ipsum solum venerentur & orent.
 O amor! ô summi summa indulgentia Ihouæ?
 Cui populo? quid tale tulit? promissaue tanta
 Nulli alij fecit? sola haec est gloria Ebraeis.
 Sed mens vana illis, leuis, impatiensq; laborum;
 Contemtrix legum, promissorumq; sacrorum.

Iccirco

Iccirco insanis odijs, querulisq₃ querelis
 Assurgunt Mosen contra, contraq₃ Iehouam.
 Degeneres animos malesuada ferocia pellit.
 Amplius hos, crocitant, tædet tolerare labores.
 Heu! cur non licuit Pharijs remanere sub oris?
 Quid miseros miseris adductos esse catastis,
 Perq₃ inopes victus terras & nuspiam ab vllò
 Antè hominis tritum proficiscentis pede callem
 Profuit, & longis ambagibus esse vagatos?
 Quid valet hîc stomachum nostrum sedare vacantè?
 Quo licet arentes fauces releuare liquore?
 Vix sterilis siccis vestitur arena myricis.
 Adde quod hîc quoq₃ fastidita cibaria crudus
 Eruet et stomachus, neq₃ iam ceu, concoquat, antè.
 Dux gregis, heus, vates: tu tanties caussa laboris,
 Tu nostri caput exiliij, tu maximus autor.
 Tu nos tranquillos turbâsti: tuq₃ beatos
 Nos parte ex omni, miserâ statione locâsti.

Audijt hæc Dominus, iustasq₃ exarsit in iras;
 Accensâq₃ minas horrendas detonat irâ:
 Vt pecus infectum morbis abolebo malignis,
 Mortiferâq₃ induxi animum consumere peste,
 Periuramq₃, & luce indignam, excindere gentem,
 Quæ nil pro summo, nisi crimina, munere reddit.

A S

Ecce

Ecce statim accelerat meritas pro crimine poenas,
 Hac illacq; vijs diras aspergit echidnas,
 Gorgoneoq; linit Deus vltor felle trifulca
 Ora: en immanes colubri per inhospita tesqua
 Incumbunt, magnog; petunt castra agmine plebis,
 Ignea lethifero spumantes ore venena.
 Iam via feruebat passim serpentibus atris:
 Fit motus, quæruntoq; fugam, fuga nulla salutis
 Apparet. Nec enim quis declinare Tonantis
 Vindictam potis est, licet ad Garamantas & Indos
 Fugerit, occidui occiduas aut Solis ad vndas.

Iamq; veneniferi per luuida vulnera morsus
 Corripiunt fontes multos, & corpora seua
 Aspides inuolunt spiris: ardere subinde
 Incipiunt toti: in reliquos quia ducitur artus
 Flamma vorax morbi. Iam millia multa virorum
 Exhalant animas, nec spes est vlla salutis.

In plures serpat, sed ne contagio morbi
 Tabifici: ad Jhouam & Mosen redit improba tur-
 Mox ipsam cœpit scelerum tædere priorum: (ba,
 Detegit offensas, pudet admissiq; piacti.
 Legisferumq; Ducem implorat, veniaq; sequestrum
 Voce nimis querulâ instituit, dum talia satur:

Mi

Mi pater, ah duram propior nunc aspice sortem,
 Supplicij satis est magno pro crimine paullum.
 Damnum fac cesset, peccauimus, idq; fatemur.
 Iam sero, magè quàm pridem per vulnera cauti.
 In te fixa salus, sis intercessor, & iram
 In nos ardentem supplex placare Tonantis
 Ne dedigneris: lapsis iam porrigere dextram.
 Decidimus quoties? quoties bonitate Jehouæ
 Excidimus? verùm pietas iam vera redibit.
 Pelle, repelle luem, virides colubrosq; fugato.

Finierant, contra Ductor Doctorg; fidelis:
 Nescius haud ego sum, quæ vos, vestrosq; pericla
 Circumstent: video flammantia vuinera crurum.
 Atqui detestanda malæ petulantia lingua,
 Perfidia, atq; Dei contemptus præbuit ansam
 Huic eladi, & tumidi violentis morsibus anguis.
 Vitam si integrare nouam, & desistere ronchis
 Mente lubet; Numen precibus placata profectis
 Ex imis animi latebris, & pectore ab imo.
 Hæc ubi dicta dedit, castris excessit Jhouæ
 Numina sollicitis compellans vocibus: eheu,
 O Deus omnipotens, mea spes, atq; vna voluptas!
 O Deus; O noster Rex, fons, & origo salutis

Huma-

Humanae : non flagra modo meruisse, crucemq₃,
 Carniuoramq₃ luem vel saevi fulminis iras,
 Sponte meâ fateor : verum grauiora manere
 (Talio si exigitur) nos tormina, conscius aio.
 Sed reuocare gradum superamq₃ appellere ad aurē,
 Abiecto questu ; scelerum contage relictâ ;
 Instituunt, lacrumisq₃ lauant lustralibus omne
 Hactenus admissum per inhospita tesqua piaculum.
 Ah ne trade tuos lacerandos anguibus artus.
 Pacta reuolue, memor nobiscum fœderis icti.
 Aspides ô absint : populus te obstipus anhelat.
 Pondus inest votis, prono quæ poplite Moses
 Fecerat, auxilio præsto est diuina potestas.
 Quippe supercilij quanquam terrore minacis
 Increpitans iustas vindex insurgit ad iras,
 Ceu scuticâ in segnes operas armatus herili ;
 Iustitiæq₃ tenax : modo friget feruida bilis,
 Vt mare commotum pingui sedatur oliuo ;
 Et precibus culpam misso seruore remittit ;
 Linquere primæuæ pietatis nescius æstrum.
 Non valet exitio proprij gaudere laboris.
 Non simul atq₃ errant mortales solibus orbat,
 Extemplone stygis damnatas trudit ad vndas.
 Prodigus aëst veniæ spacium dat pectora lapsis

Vertendi

Vertendi in melius; mediâ miserescit in ira:
 Pro letho vitam, ad frugem redeuntibus, offert:
 Dummodo vera malos animos metanœa resingat
 In mentes Ihoue vitâ meliore placentes.

Ergo Deus veniæ largus mox talia Mosi:
 I, mea progenies, massam clangentis & aris
 Accipe, & ad prunas ignitas adde liquandam.
 Tum cupro calido formam superindue Echidnae;
 Post ligno affigens, vacuas attolle sub auras.
 Hæc medicamen erit lethalis morsibus anguis:
 Suggestet hæc ictis gratumq; ratumq; leuamen.
 Corpora vipereo fuerint si infecta veneno,
 Huc oculos vestros, animos huc vertite vestros:
 Præsto erit auxilium; præsto medicina doloris.

Percipit hæc Heros summi mandata Dynasta,
 Nec mora: Serpentem Temeseo preparat ære,
 Inducitq; cruci, celsasq; attollit in auras.
 Dictum iam factum. Nam quos infecerat aspis,
 Solo illi aspectu salui serpentis abibant,
 Seruanturq; omnes, sua qui ad simulacra retorquet
 Lumina, saluificæ fidei munimine nixi.

Αὐτοδοσίς.

Fallor? an humani lapsus hinc damna pateſcūt?

Hinc

Hinc vidisse licet, quæ hominis corruptio pravi:
 Hinc vidisse licet, quæ sit clementia Ihouæ.
 Scilicet ille æger plantas à vertice ad imas:
 Scilicet hic medicus, propria nece vulnera sanans.

Altiùs ast rerum mens est penetrare recessus.
 Quisq; hominum binas circumfert corpore partes,
 Pugnantes secum diuersis nisibus, hostes:
 Naturam sine peccato, sine morte creatam,
 Effet vt auctori per singula congrua Ihouæ.
 Hic age perstringam paucis, Natura quid ægra?
 Vnde habeat tantos morsus, & signa reatus;
 Vnde mali tanti præsens medicina paretur?

Ut primùm Numer trinum fabricasset Adamũ,
 Illi connubio stabili sociasset & Euam:
 Protinus ardescit serpens antiquus in iras,
 Taliq; effundit fallaci gutture verba:
 Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
 Fata hominum! num me meliori sorte fruantur:
 Scilicet aspectu Ihouæ? num rura beati
 Vsq; colant Paradisi? & ego detrudar ad orcum?
 Non patiar. Verùm dictis pellacibus Eue
 Cor capiam incautæ, vt temnat mandata Tonantis,
 Ac pomum vetitum vetito de stipite carpat.

Dixe-

Dixerat. vrget opus, fallaxq; ita farier insit :
 Plasma Dei, gens grata Deo, splendorq; Jehouæ :
 Aspiciate vt pedibus subiecerit omnia vestris
 Cunctipotens, quis summa Soloq; Saloq; potestas.
 O quater & quoties non est numerare beatos,
 Cuncta suis cedunt, quis terrarum vsibus apta!
 Aspiciate vt fructu pomorum purpuret arbor
 Quelibet ! omnis ager niteat florentibus herbis !
 Fœtibus vtimini : qui vos timor arguit extors,
 Que malè sana animos tam terret opinio vestros,
 Ne Paradisiacis satiatis frugibus alvum ?
 Sumite : Cœlicolis similes reddemini in altis.
 Ecquid adhuc dubitas decerpere poma virago
 Pollice ? Ihoua tuis fatis non inuidet. amens
 Ter voluit vetitum ramis decerpere fœtum :
 Ter recidere manus : Domini mandata reclamant :
 Haud decet illicitos demsisse ex arbore fructus.
 Quartum instat, nimium ore potens ac munere fan-
 Aggrediturq; iterum verbis pellacibus Euam : (di :
 Magna parens hominum, fœtus ex arbore morju
 Frangere, que media est felici intorsit a luo,
 Ne scelus esse putes ; non hæc sententia Ihouæ.
 His illecta parens, delusaq; fraude Chelyæri,
 Heu cecidit, pomumq; horti, cui parcere iussit

Alito

Altitonans, digitis porrectum prendit iniquis,
 Carpit, & arrepto fructu sua credula turpat
 Ora, DEI justis neglectâ lege: viroq;
 Monstrat, & illicitâ hunc escâ tenet illice captum,
 Ilicet ut decerpât homo fatalia poma.
 Atq; peremptorij Socium sic fraude veneni
 Inuoluit miserum: Virus sic perdit vtrumq;
 Namq; statim morsum mali malè percipit Eua,
 Et primæuus Adam techinas fallacis Echidnæ.
 Mox virus lethale caputq; pedesq; manusq;
 Occupat, ut toto maneat nil corpore sani.
 Mens est Cimmeriis confestim effusa tenebris,
 Ut neq; quid DEVS est, norit, nec nosse laboret.
 Altera adhæc princeps hominis pars, laxa voluntas,
 Non audit, quæ oracula DEI ratioq; requirunt.
 Nititur astit, contrâ, semperq; resistit: & omne
 Quod mens deprauata cupit rapido efficit ausu.
 Ipsa quidem potiora videtq; probatq; sed ægra
 Hoc morsu mali, sibi deteriora capeffit.
 Hinc similem in cladem traxit sors dira minores.

Heu dolor, heu mæror, proh maxima damna sa-
 lutis,

Quæ dedit ex æquo nobis Phlegetontius anguis;
 Quæ comportassent miseris mortalibus Oreum,

Intima

Intima nos mitis nisi commiseratio Christi
 Mature Paradisiacum reuocasset in hortum,
 Ipseq; lethiferos lauisset sanguine morsus,
 Atq; suâ toto diffusum corpore virus
 Non secus ac flammam immeritâ nece restinxisset.
 O bonitas ingens, amor, ô clemnetia summa!

Scintillasse igni per devia castra volantes
 Immanes colubros monimenta sacra fatentur.
 Ergo venenati tumidâ quos fauce petebant
 Angues, ignescunt, totiq; ardere videntur,
 Hinc oritur trucibus præceps occasio morbis.
 Marcescit calor atq; vigor; marcescit & humor.
 Mox truculenta suo mors demetit ense peremptos
 Post prius exhausti cruciatus mille doloris.

Ignæ non aliter vis putida corda pererrat,
 Quando sua afflauit primæuo aconita parenti
 Serpens, ac virus per saucia pectora serpens.
 Scilicet humanis hinc praua incendia surgunt
 Pectoribus: dehinc irarum fel concipit œstrum.
 Inde modis rapidi affectus vexantur iniquis.
 Fascinat hinc animos malesuada cupido sequaces,
 Hinc aliena videns tristi bona lumine liuor;
 Hinc est seductæ damnosa superbia carnis.

B

Hinc

Hinc amor argenti est, & opum furiosa cupido.
 Exin cura gula, mundiq; obscæna voluptas
 Auocat à recto scelerum sub deuia calle:
 Hinc leuis inflatos reddit fors atq; feroces.
 Hinc leue deterret folium, vel mobilis aura.
 Attamen haud cessat spernax incuria honesti.
 Hinc patet in præceptis sinuosa vorago malorum.
 Tantane cœlestis capiant obliuia mentes
 Seminis humanas dium ad Paradigma creatas!
 Immemores summi temnant quo iussa Dynasta
 Seq; dicent ipsas Satana stygiaq; paludi!
 Namq; suo est ipsum vitium ardēs fomite flamma,
 Absumens hominis corrupti viscera cordis.
 Atq; huius labis merces erit orcus & ignis
 Perpetuus, nullis vnquam delebilis vndis.

Sed velut haud poterant medicati graminis vsu
 Israëliginæ reualescere ab aspidis ictu,
 Qui curam excessit summamq; Machaonis artem:
 Sic mentes hominum, stygius quas punxerat anguis,
 Antidotum ignorant, quo extinguere toxica nigri
 Sustineant Ditis, iactumq; eludere virus.

Nil valuit sacras Ebreis victima ad aras
 Tollere serpentum morsus; non thuris acerra,

Non

Non olei Assyrii misto similago liquore
 Immissam poterant illis auertere cladem:
 Damnosæ morsus mortis fuit vnicus, autor.
 Vna at adhuc medicina supersuit atq; malagma,
 Vulnera quod solidet, cordisq; refrigeret aestum:
 Scilicet aspectus colubri, quem legiser Heros
 Correctis, Ihouâ mandante, leuârat Ebrais.

Haud aliâ Christus ratione Salutifer orbis,
 Commiserans miserè delusos fraude Draconis
 Antiqui: Solium linquens patris, exul in Orbem
 Sponte suâ properat lapsam instaurare salutem;
 Humani associat Deitati corporis artus.

Consimilem nobis fieri sunt gaudia Christo;
 Absq; tamen vitijs, omniq; ab origine, labe.
 Flagrat amore suo redimenda sanguine gentis.
 Probrosi, nostro suffert probra nomine, Mundi.
 Cedi se patitur, truncoq; affigier alto.
 Atq; suum condi turpi fert puluere corpus,
 Robora diuini cautè sua vt occulat oris,
 Et rapidum Lethum capiat, sevumq; Draconem.

Non mora: mors Sathanasq; inbiant; vt piscis
 ab hamo

B 2

Mon.

Monstrato vermi : morsu uno absumere Christum.
 En videt hunc, visumq₃ cupit, potiturq₃ cupito
 Morsq₃ Sathanq₃, Erebi crudelia Numina cœci.
 Pone quid eueniat ? simul ac auido ore vorârunt
 Humanæ Domium carnis sub mole latentem:
 Continud diris rumpuntur viscera monstris :
 Qualiter absumtus Crocodili faucibus atris
 Indicus eiusdem arrodit naus inguina acutis
 Dentibus, insensamq₃ feram, damni enecat ultor.
 Hoc astu Lethes stridentem perdidit Hydram
 Christus, nil eius virus rabiemq₃ timescens :
 Perpetuisq₃ ligans vinclis detrusit ad Orcum,
 Monstraq₃ peccati per lûrida compita strauit.
 Quis igitur turbis, bone conturbemur IESV,
 Quando flagella, tuamq₃ crucem, vultumq₃ tuemur?
 Omne etenim virus rapis exitiale Draconi.
 Vnus item morsus non uno est vulnere dentus;
 Sed multis, Lethum deletum nomine Lethi :
 Ne deinceps miseros furibundo lancinet ore.
 Sic vis, sic rechina, sic spicula missa resultant
 In caput auctoris : Spes est elusa colubri.
 Fortior à nobis iam stat: fuge, fortior hîc stat
 Saluator; tutum hic nostris animabus Asylum.
 Anne moram nectis ? procul hinc te confer ad atra
 Tartara:

Tartara, peccatum procul hinc, procul inde faceffat.

Iam tibi deficiunt vires, tua roborâ languent,

Quam multos posses ad nigros mittere manes,

Vindice nî plantâ tibi colla attrita iacerent

Christi, qui præfens lapsæ est medicina salutis;

In quem non cecidit peccare aut fallere dictis!

Quod verò ut reprobis numero annumeratur eorû,

Quis fraus, impietas, quibus & scelus omne, volu-
ptas;

Et medius pendet Deus inter vtrumq; latronem;

Defectus hominum prauos, noxamq; piavit:

Nec tamen à quoquam debet sceleratus haberi.

At velut haud virus stillauit Aëneus anguis,

Nec potuit linguam nocuis armare venenis:

Et tamen anguis erat, non re, sed nomine tantum:

Christus ita humanâ sit carne simillimus angui,

In se assumendo totius crimina mundi.

At velut in bellis, vbi Mars de sanguine certat,

Cesserit alterutri quando victoria Regi,

Ut prædam capiat, deuictosq; exuat armis:

Stant erecta Tropæa, omnesq; Epinicia cantant:

Anguibus haud aliter fervebat vbi auia tellus,

Et multi calidis colubrûm periêre venenis:

Vexilli in morem Moses suspendit Echidnam ;
 Ut quotquot fuerant diris serpentibus icti,
 Aspicerent ipsum fictum fixumq; Draconem,
 Et spe diuini promissi vulnus abiret.
 Sic quoq; cara Dei soboles, Rex aetheris alti,
 Nobis, (horrendum) stygius quos punxerat anguis,
 In crucis, expansis palmis, sustollitur aram,
 Fit serpens, quando humanos sibi sumserat artus,
 In quos peccati molem consarcinat omnem,
 Quam nos & nostri quondam vinxere parentes,
 Immemores mandatorum, quae sanxit Ihoua.
 Hicce salutiferi nobis se tollier agris
 Sustinet in morem signi, sanantis & anguis :
 Ut, quicumq; fidem cordis penetrabilibus imis
 Illius ad vultum torquet sub turbine secli ;
 Proculcet pedibus lethum, transq; astra locatus,
 Aeternae accipiat donum inuiolabile vitae.
 Hic ratus est Medicus remouens à corpore mortem :
 Hic medicus morbis promptus placidusq; medendis ;
 Quaesitam non tardat opem, aut procrastinat vnquam
 Hic medicam applicuit moribundis vulnere dextrâ,
 Atq; suo recreans iam tabida membra cruore,
 Pharmaca certa dedit, rapiens ex faucibus atrae
 Mortis, adhuc fecit vitali vescier aurâ.

Hunc

Hunc quicumq; petunt, poscuntq; leuamina morbis,
Ilicet accipient animæ medicamina læsa.

Quotquot huic fidunt constanti pectore, verum
Et medicum agnoscunt; facilemq; ratamq; repente
Cognoscent curam; confecti morsibus anguis
Quamuis sint toti, virusq; cor omne pererret;
Quamuis oppressi peccati mole fatiscant.

Ecquid adhuc Stygio Daemon letaris in antro?
Te Christus domuit, Christus tibi brachia fregit.
Ecquid adhuc plaudis fœdi rex pallide Auerni?
Deuastata tuæ obscuræ sunt tecta cauerna.
Damnârant diæ nos seu a tonitrua legis,
Immanem propriâ cuius virtute rigorem
Ferre potest nemo. aſt Superi patris vnica proles
Sponte sua miserum miserata fauore laborem
Humana gentis, rigida se subdidit ira
Patris, & excepit damnantia spicula, Tonantemq;
Iratum sceleri nostro, placauit adacta
Elato ligno, vt pendens pro fontibus insons,
Pendat crudeles ob nostra piacula pœnas.
Sic iam diuinæ facta est impletio legis;
Sic elusa cadunt vitrò iam fulmina legis.
Pro nobis siquidem Christus maledictio factus.
Hic ligni ligno peccata nouissimus Adam

Purgauit, frangens lethalia spicula lethi.
 Hæc propter, patris soboles æterna pependit
 In cruce sublimis vacuas latus ad auras,
 Immundum stygiis quo vindicet aëra laruis,
 Ne nos pessudent funesti fraude veneni.

Hic sua distentis expandit brachia palmis,
 Alliciens ad sese omnes, velut ales apertos
 Alarum tendendo sinus crepero ore ciere
 Assueta, insidias trepidat, pullosq; tuetur,
 Aëre ne quando subitis descendit ab alto
 Martius accipiter gyris, hos vnguibus vncis
 Arreptos vivos inhiante absorbeat ore.
 Sic etiam Christus miserans incommoda gentis
 Humanæ, indutus moribundi corporis artus,
 Sontes advenit turpesq; invisere terras,
 Et culpas abolere, poli q; recludere portas,
 In diram reprobâ patiens se à gente leuari
 Furcam, quâ palmam latè distendi: vtramq;
 Ad sua tracturus mortales regna, maligni
 Ne rabies Sathana viuos nos mancipet Orco.

Ac velut investes tumido à serpente peremptos
 In vitam reuocat Pelecanus sanguine pullos,
 Prolis amans sua dum terebrat sibi pectora rostro:

Sic

Sic nos aeterno soboles aequa parenti
 Compunctos ictu infernae lethaliter Hydrae,
 Iamq; exhalantes animas facit utier aurâ:
 Salvificamq; refert lucem, vitamq; perennem.

Arrige iam patulas, deperdite spiritus, aures;
 Fraus tua detecta est, spoliatus es omnibus unum
 Per Christum telis: detecta est vertice crista.
 Arrige mors patulas, Bellonâ Sævior, aures:
 Vis tua deleta est, Christi tua morte potestas
 Corruit, inq; furor vacuas evanuit auras.
 Inunc, humanamq; iacens expungio gentem!
 Exemptus stimulus, veteris contagio labis,
 Contractæ vitio primæ culpâq; parentis.
 Incassum furis & salutum baccharis in orbem.
 Unus homo lapsus nobis reserauit Avernum;
 Unus homo passus nobis reserauit olympum.
 Unus homo nobis peccâdo perdiderat rem:
 Unus homo nobis moriendo restituit rem.
 O quater & quantum non est numerare beatos!
 O nos felices omniq; ex asse beatos,
 Quos Deus immeritos summo cumulavit honore!
 Nos primæui hominis labe, noxæq; piaculum
 Viperei imbutos fœdâ contagio veneni
 Involuit, recti indociles, cæloq; rebelles;

Damnatosq; vetus tenuit tot secula serpens.
 Christus at indignos tanto amplexatus amore est,
 Omnibus extinctis offensis atq; piaculis,
 In cœlum, atq; sui vt regni nos parte locaret,
 Atq; aleret dapibus Superùm, potuq; beato,
 Nectare & Ambrosiâ satiatus omne per æuum.
 Aeneus, (auditor,) notat hæc tibi mystica serpens :
 Fac memor hæc omni teneas in pectore verba.

Gratiarum actio ad Christum mundi Redem- torem.

IESU CHRISTE, Deo vero Deus edite, mundi
 Ante rude & crudum chaos ; ante exordia rerum ;
 Qui verbum, sed non linguis imitabile verbum,
 Ante suis quàm Sol, fratrisq; Argentea Phœbe,
 Luminibus tenebras terris arcebat opacas ;
 Cuncta Deo similis, vultum, mentemq; fauoremq;
 A quo de nihilo hic factus fuit orbis amœnus ;
 Tu culti relinquens spaciosa habitacula cœli,
 Perpetuasq; domos, nitido quas lumine Titan
 Assiduo irradiat, recta hospita mentibus, almus

Quæ

Quæ Deus ætherijs primo concessit ab æuo,
 Mundi opifer miseri nostras descendis ad oras;
 Maximus angustis vteri succedere valuis
 Virginei dignatus. at illibata pudoris.
 Claustra manent matri sanctæ, æternumq; mane.
 In morem vitri tenuis nitidig; coruscant (bunt,
 Illæsum recipit clari quod lampada Solis.

Tu genus humanum seductum Dæmonis astu,
 Admissig; reum insanæ, quo mortifer anguis
 Adamum implicuit, delusâ fraudibus Euâ;
 Vindicijs iustis, effuso sanguine; soluis.
 Proderis innocuusq; inculpatusq; per ipsum
 Discipulum Iudam: stringunt te funibus instar
 Sontis damnandi, manibus sub terga reflexis;
 Te trahit huc illuc clamosum vulgus ab vno
 Iudice delusum sarcasms acribus, actumq;
 Alterius frontis persfrictæ ad iudicis ora.
 Et cæsus faciem, turpatâ fronte saliuâ,
 Contextam portas spinâ pungente Coronam;
 Vnde caput totum vibex liuorq; cruentus.
 Atq; latus duris flagris liuescit vtrumq;
 Iamq; animam exhalans, & amara morte laborâs,
 Cùm reprobos inter penderes stipiti adactus,
 Imbibis assusam bilem despectus aceto.

Nec

Nec modo te eludant moriturum: sed quoq₃ functo
 Iam vitâ insultant fodientes cuspide costas;
 Vsq₃ aded vt vulgus leue postremiq₃ Mysorum
 (Infandum) te contuitu haud dignentur aperto:
 Nausea quo spias & iter tendentibus istac
 Horror, Iudæis verbumq₃ catharmaq₃ cecis.

At amen heu lapsus & crimina nostra piasti,
 Nos tibi, nos, inquam, suimus probriq₃ necisq₃
 Caussa; penes nos est, noxae cum fomite, noxa.
 Nos, inquam, deliquimus at tu nomine nostro
 Supplicium horrendum suffers suspensus in altum.

Namq₃ (fatebor enim) veluti sine Rege bidentes
 Errant vnquamq₃ suam quò distrahit error,
 Squalida figentem tortos ad deuia gressus;
 Tramite sic recto nos declinauimus omnes.
 Tu verò vt reduces posses nos sistere Patri,
 Factus es è summo, ceu spretus verna, Monarchâ.

Pro tantis meritis meritas tibi promere grates
 Quis valet? haud vllus, licet ipsi pectus ab ære,
 Aut valido ex ferro vox, aut adamantina lingua.
 Nemo; litet quamvis iugulis centena reclusis
 Ext a tibi pecudum, millenaq₃ pocla Lyæi.

At qui quàm potuit dat maxima, gratus abundè
 est: Christe

Christe, tibi tantum nos gratia resolvimus ora.
 Quod tibi tam gratum, quam gramine pasta Falisco
 Victima, quæ fertis redimita & cornibus astat
 Auratis, quæ farre novo mactata meroq;
 Te surgente die, te decedente vehemus
 Laudibus atq; hymnis; cum Flatu & Patre; Deūq;
 Nostrum, & nostrorum, cuncto celebrabimus ævo.

At verò quia te semper pendemus ab vno,
 Deūq; tuam nos, Pastor oves sumus optime, caulam:
 Da nos, da tecum cœli vivamus in aula.

F I N I S.

Ἐπιγραμματὰ ἐγκωμιασικὰ

In

Serpentem Æneum &c.

Versibus descriptum

à

M. HENRICO IVNIO &c.

LL. Studioso. &c.

Cum

Cum gemini versas sinuosa volumina Iuris,
 Atq; piam simili ardore Poësin amas;
 Rem magnam præstas; geminataq; premia, Junii,
 Pro pietate simul, proq; labore petis.
 Præmia non deérunt Romano à Codice; Honores
 Inde ampli veniunt, inde parantur opes.
 Sed Pietas potiora dabit; quæ munera promit
 Cœlica, & aeterno ditat honore animas.

M. Johannes Fridericus, Physices
 in inclyta Academia Lipsensi
 Professor publ.

Ad ornatissimum doctissimum-
 que virum Dn.

**M. HENRICVM IV-
 NIVM POPVLAREM ET
 amicum suum.**

Aenim vt equipares Mellisæ versibus anguē,
 Pagina præ reliquis te sacra, amice, mouet.
 Quid? quod, vt es soliti captis insigere prisca
 Sunt, dira has ledat ne qua putredo, feris:

Corpo-

Corpora sic quoq; ne tota euertantur in illo
 Nostra iterum surgant sed rediuiua die;
 Istâ præseruat nos à putredine, tantis
 Spes Christus nostris vna salusq; malis.
 Aeneum huic ergò æquiparas quod versibus anguem,
 O benè quæq; piè, mi popularis, agis!

M. Wolffg. Coruinus Fr. artis dis-
 serendi Prof. publ. in Acad. Lip.
 scrib. ἀμελητί.

A L I V D.

Æstuat ingenium pleno moderamine lingua,
 Iuni, Romanae, quod labor iste docet.
 Non hac dimidius cupis esse peritus in arte:
 Hinc toties Phœbi plectra sonora moues.
 Sic & facundam Phœbao pectine linguam,
 Aptaq; perplexis legibus ora facis.
 Cui bene castalijs formauit labra fluentis
 Phœbus, dimidiam nosse Themista ferunt.
 Hinc & in arte sacræ Themidos qui claruit vnquam,
 Vocis item Latriæ callidus ille fuit.

M. Petrus Wernerus Inclytæ fa-
 cultatis Philosophicæ collega,
 J. U. Candid.

Dn.

Dn. M. HENRICO IVNIO
AMICO MEOS.

Incluta quem stimulat virtus, is ad ardua tendit,
Nec solet occultis delituisse locis.

Incluta quem stimulat virtus, is ad ardua tendit,
Ac inter doctos nomen habere cupit.

Tu mihi, tu testis, IVNI, percare Magister,
Qui mihi Thesea iunctus, Amice, fide.

Oebalidis turpi nymphae ut frueretur amore,
Virtutem spreuit diuitiasq; Paris.

Vt fieres clarus studiis, tu premia tenuis
Iunonis, Veneris: Palladis vna placent.

Hinc, monumenta viam virtute docente, Sophorum
Prima tibi à teneris voluere cura fuit.

Hinc scis quicquid habet princeps, censorq; Sophorū,
Quodq; acri nobis mente reliquit opus.

Hinc tibi vena fluit facilis, quod carmina fundas,
Qualia vix potuit Naso Poëta dare.

Nuper ubi Phœbus publicè te verba loquentem
Audluit, tales protulit ore sonos:

Hic quis, qui tantà multet dulcedine versum
Astantes? Dignus laurea ferta gerit.

Ergo

Ergo tenes inter doctos nunc doctus honorem
 Magnum, maiorem secla futura dabunt.
 Perge modo, assiduâ Iuris volumina sacra
 Iustiniani voluere perge manu.

Andreas Schneider de Crimmicio
 LL. Cand. amicitia ergo F.

DN. M. HENRICO IUNIO
 SVLANO FRANCO, AMICO
 meo inter fidos optimo, & inter opti-
 mos fidissimo, edenti SERPEN-
 TEM AENEVM.

SI, quibus Heroo canitur tuba bellica versu,
 Si, quibus ingenitus carmina dicit Amor;
 Ad statâ tergemini tolluntur honoribus astra,
 Nomen & illorum posthuma secla notant:
 Cur tibi, mi JUNI, cui vena Poëtica floret,
 Ebrie Pegaseis ad labra summa vadis;
 Non meritis memori tribuamus carmine laudes,
 Qui canis Heroâ Chviltam, Erebumq; tubâ?
 Aeneus ille quidem, quem Moses erigit, anguis
 Israëligenis tuta medela fuit:
 Quando lethiferis colubrorum morsibus icti
 Nil nisi presentem iam timuere necem

C

Sic

*Sic quoq; bis genitus cruce Rex suspenditur altâ,
 Ut Satanae morsu saucia corda leuet.
 Saucia corda hominum sanat, miseratus egenam,
 Quâ premitur mundi machina lata, vicem,
 Perforat hasta latus, fluibunda vnda vnde redundat,
 Quæ tribuit vitam, quæq; salute beat.
 Christe, tuæ caule nos, Christe salutifer, aule
 Infer, inexhaustâ quos bonitate regis.*

facieb. Lipsiæ

M. Georgius Theodoricus Wur-
 censis P. L. die Soteriorum
 Anno Christi reDeMtoris

Humanissimo & doctissimo viro
 Dn.

M. HENRICO IUNIO,
 JURIS ET ÆQUI CANDIDATO
 præcellenti, amico vt candido &
 sincero, sic maximoperè co-
 lendo.

ET Themis & pietas circum tibi pectora sedit,
 O Jhouâ & iustis, Juni, amate viris!

Huius

Huius testis adest suspensus ab arbore Serpens :

Illius assiduâ iura notata manu.

Sic tibi cura simul legum est, & cura Iehoua,

Vnâ sunt pulchrè mente notata duo.

Quae tibi salua diu maneant in pectore saluo,

Sera vt posteritas te vehat ore, precor.

Christmanus Augspurger Spi-
rensis LL. Studios.

In Aeneum Serpentem Dn.

M. HENRICI IVNII

SVLANI

EPIGRAMMA.

Q*uis nouus hic Serpens in lucem serpere tentat*
Aeneus inscriptus? Mosi opinor erit.

Exiuit hunc olim nam vir diuinus Eremita,

Aspectu vt populo vita salusq; foret.

Carmine sed quis tam docto complexus eundem,

Quisue huius docuit mystica vera typi?

Fallor? an ipse tuo, Juni, proserpit in auras

Ex cerebro, Pallas ceu Ioue nata salit?

Scilicet: est serpens, de quo tibi sermo, Magister,

Quondam Paulinâ Lipsiae in aede fuit.

C L

Hunc

Hunc quia committis prelo, ne cuncta voranda
 Carmina das tinea: carmine dignus eris.
 Gaudeat hoc Satanas? minimè, nec gratia rependet
 Autori, danti carmine damna suo.
 Nam velut à colubris morsos seps are paratus
 Sanavit morsu: vitaq; mansit eis:
 Sic aeterna tuo fugiet Mors carmine cunctos,
 Luminibus cordis qui modo cunq; legent.
 Atq; fide verâ crucifixum mente tenebunt
 Christum, quem tali carmine ritè doces.
 Ergo quisquis eris, Serpentem, qui modo prodit,
 Atq; refert aëris nomina, fortè videns,
 Aspice, pellege, mente voluta, corde teneto:
 Aspidis atq; anèa tota medulla patet.

Andreas Berthius, Meiningensis F.



Ad

Ad

Dn. M. HENRICVM
 JUNIVM SVLANVM JURIS-
 PRVDENTIÆ TAM MOSAICÆ ACCA-
 nonicæ, quàm Romanæ cultorem af-
 fidum, virum vt doctiss. ita humaniss. præ-
 ceptorem meum fidelissimum, plurimumq;
 ex merito colendum, submittentem
 prelo carmen de Æneo Serpente, pi-
 etatis atq; eruditæ doctrinæ
 plenissimum.

Percipiens vulgus rude, nomen Iureperiti;
 Dicit atheum, & vacuum religionem putat.
 Ad grandem insulsis errorem mentibus errat,
 Nec verum à falso dissecuisse potest.
 Inspice Pandectas, angusta volumina legum,
 Quasq; tibi Codex pandit, apertus opes;
 Vix à Theologo quicquam diuinius ipso
 Proferrî poterit: pellege, testis eris.
 Quod testantur idem libri tot iureperitum,
 Consona scriptura, qui modo iura docent.
 Fallor? an hoc ipsum, Præceptor fide, probabis
 Carmine, quod nunc in vulgus abire sinis.

C 3

Nam

Nam quoq; tu iuris studijs imbutus adheres,
 Sed studia his studijs iuncta sacra colis.
 Quod liquet ex serpente tuo, vel carmine docto,
 Quod iam sub prelum mittis, & ora virum.
 Hoc tenet aeternae fundamina prima salutis,
 Christiani & summam dogmatis, atq; fidei.
 At forsitan dices: frustra prius hoc agis actum:
 Numq; eadem haec clare Biblia sancta docent?
 Non equidem inficior: numeris sed vincita politis
 Lectorem stectunt, afficiuntq; magis.
 Nec tam difficile est, versus meminisse canoros,
 Quam quae sunt metricis scripta soluta modis.
 Et studet esse suis gratus Fautoribus Autor;
 Querere nec famam versibus hisce suis.

Albertus Nuckelmann Hamburg

FINIS.

ERRATA.

PAG. 5. v. 9. lege Hicce p. 11. v. 18. placas
 te p. 16. v. 12. offusa p. 17. v. 6. clemen-
 tia. p. 24. v. 3. elatus. p. 31. v. 6. O, bene,
 quamq; & v. 16. Latiae.



L I P S I Æ.


Excudebat Valentin am Ende.

Typis Hæredum BEYER I.

ANNO.

M. DC. V.





Cb 1856 of

ULB Halle

3

002 386 801




D


~~1856~~

U017

m f







Farbkarte #13

B.I.G.



66 2673



is æneus
ELITIS
 TEM MAN-
 HOVÆ PER
 erectus.
 Heroico
 natus,
 σρωε Lipsiæ in tem-
 endi ibidem Collegij
 missu productus.
 à
 O IVNIO SVLA-
 æqui Studioso.
 chthon.
 besaurus eruditionis;
 formatrix lingua.
 ✠) 90
 Jacobo Apelio, bibl.
 anno
 DEO.

